(15

# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# FEBRE HECTICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID WOODBURN,

Scoto-Britannus.

*IV. Nonas Augusti, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIV.

AVUNCULO CARO

GULIELMO CALDWELL, M. D.

E MEDICIS COPIARUM MILITARIUM
BRITANNICARUM,

APUD *MONTREAL*

DE MEDICINA PRACTICA

PRÆLECTORI;

VIRO

REI MEDICÆ PERITISSIMO,

VIRTUTIBUSQUE, QUÆ HOMINEM ET CIVEM
ORNANT

CLARO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA,

SACRAS VULT

AUCTOR.

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

## DE

# FEBRE HECTICA.

### *PRÆFANDA.*

INTER omnia valetudinis adversæ genera, quæ gentem humanam torquere solent, haud ulla medicorum ingenia, ab antiquissimis usque ad hodierna tempora, sæpius exercuere aut fefellere, quam isti morbi multiplices, Febres nominari soliti. Nemo, artis Apollinaris paulo scientior, ignorat, harum omnium sedes, causas continentes, et naturam, tenebris hucusque velari; neque id vitio medicis ipsis vertendum esse; at potius huic argumento, ipsi perdifficili, tribuendum esse. Febres

nunquam et nusquam defuere: quippe quas causæ semper et ubique præsentes alere et diffundere videntur: quo fit, ut, secus atque alii quidam morbi, gentes fere omnes, barbaras atque excultas, pariter aggredi consueverint. Quod cum ita se habeat, satis patet, cur medici vetustiores, Græci et Latini, maxime Hippocrates, Celsus et Aretæus, lucidissime de febribus scripserint; adeo ut vix quivis ex recentioribus vel hodiernis in hoc genere iis antecelluerit. Non igitur aut scribendi cupiditate adductus, aut novi me aliquid prolaturum esse professus, pauca de Febre *Hectica* literis mandare statui. Operæ tamen pretium duxi, quæque cognitu dignissima, huc attinentia, sive quæ, libris perlectis, sive quæ in ægris curandis versatus, didicerim, quam brevissimo sermone proponere.

Cullenus febrem *Hecticam* ad classem "Pyrexiæ;" ordinemque "Febres" relatam, sic definivit: "Febris quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexia, matutina; plerumque sudoribus nocturnis, et urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponente."

Haud equidem difficile est intelligere ordina-

tionem Cullenianam parum convenire; neque vero dictu est facile, quænam pars *nosologiæ* ejusdem auctoris melius hanc febrem accipere potuisset. Vix recte cum cæteris febribus consociatur; siquidem fere semper aliis morbis prius illatis accedit, præter alia et gravissima ejus propria mox enarranda.

Hæcce definitio morbo proposito apta esse nobis videtur: "Febris remittens, cui sunt binæ accessiones quotidie; meridiana levior, vespertina gravior: hæc vero sudore nocturno finitur, urina simul copiosa et crassa, ex qua rufum decidit; secutura remissione matutina." Sequitur, ut hæcce præfatus, Febris *Hecticæ* signa proferam.

### *DE SIGNIS.*

Febris *Hecticæ* accessiones febris intermittentis proprias admodum simulant. Sæpissime eidem legi, quod ad tempora, parent, cui accessiones febris quotidianæ: modo Tertianæ accessiones imitantur. Febris *hecticæ* cum Intermittente commune est, accessionem tripartitam esse; nimirum, ex horrore, ardore et sudore constare; adeo ut ne-

mo, unica perspecta accessione, naturam propriam suique similem hujus febris videre aut cognoscere possit. Ipsam vero accessionem oratione clara et accurata depingere difficile est; quippe quæ aliis alia esse potest. Nec solummodo interest, quod modo gravior, modo levior contingit; verum etiam, quod tempora sæpe mutantur; nec semper limite certo aut indicantur accessiones ipsæ, aut invicem disjunguntur singulæ partes, e quibus conficitur. In animo est, tamen, signa hujus febris usitatiora fuse depingere: deinde ista abnormia, quæ sibi subinde præferat, paucis enarrare. Accessio meridiana, uti jam memoravi, levissima est; duas vel tres horas trahere solet, hora quarta vel quinta post meridiem decessura. Remissio vero ista brevissima est, bihorio, citiusve in accessionem vespertinam abitura. Quam, quoniam altera multo acerbior est, aliquanto fusius describere conabor. Jam notavi accessionem hæcce tria complecti, scilicet, horrorem, ardorem, atque sudorem: de quibus nunc disserendum.

*De Horrore.*—Ineunte accessione, præsertim vespertina, quæ longe acerbior est, membra omnia inhorrescunt: Summa cutis ubique corporis expallescit, atque collapsa et *anserina* aret: quine-

tiam, præter modum calet, etsi homo sibi frigere videatur. Vultus admodum pallet: vires perquam solvuntur; nec simul animus contristari solet. Secernenda et excernenda parum secernuntur et excernuntur; æger sitit: lingua vero non, uti aliis febribus urgentibus, sordet. Illud quoque notatu dignum existimo, actionem ventriculi quam minime inter horrorem turbari; vomitum scilicet fere deesse. Alvus tarda esse consuevit. Arteriæ æquo crebrius et exilius moventur.

*De Ardore.*—Simul atque horror spatium temporis incertum traxerit, tandem sensus ardoris quæsitissimi membra omnia percurrit. Non solum instrumentum Fahrenheitanum admotum, cutem incalescere ultra debitum denunciat; veruntamen quoque homo se exardere queritur: manus atque pedes summo quasi uruntur calore. Vultus rubore saturrimo et lætissimo floret; adeo ut mulieres nunc pulcherrimæ et venustissimæ esse videantur: imo vero macilentis et perituris, quibus, inter horrorem, accessioneve finita, vultus pallet et extenuatur, genæ, febre jam exardente, mediæ maculam quasi exiguam ruberrimam candore circumfusam exhibeant. Mens inter hæc parum turbatur, fere serena aut hilaris. Suppri-

mi perstant secernenda et excernenda; alvus tardior est: urina redditur parca atque rufa. Arteriæ saliunt citius quam fert natura: Spiritus trahitur et emittitur justo crebrius. Nunc, haud secus atque antea, ventriculus officio rite perfungitur.

*De Sudore.*—Horis fere duabus post mediam noctem exactis, ardor in sudorem desinere cœpit. Sudor erumpere solet initio circa frontem atque cervicem: deinde sensim reliquas partes summæ cutis madefacit; usque ad Auroram ineuntem maceraturus. Sudori accedit urina multa, crassa, ex qua subsidit quasi furfur rufus.

Memoria dignum judico, sudorem nequaquam *criticum* esse aut salutarem: nec incitationem febris propriam penitus conquiescere: quo fit ut medicis Febrem *Hecticam* inter *Remittentes* recensere placuerit. Vomitus porro, si invadit, accessioni decessuræ supervenire consuevit. Motus cordis et arteriarum, vel inter remissionem, haud multum sedatur, fere semper citior quam integra valetudine.

Jam retuli, huic febri tempora contingere incerta; raro profecto accessiones iisdem horis amplius ter quaterve redeunt. Demum, si causa

ejus genitrix gravior sit, indies vires magis prosterni cœperunt: sudoremque abeuntem indies excipit alvi fluxus: quibus vicissim quotidie illatis æger colliquefactus serius ocyus absumitur.

### *DE ABNORMIBUS, FEBRIS HECTICÆ PROPRIIS.*

Signa supra tradita Febrem *Hecticam* quæsitissimam et pessimam depingunt; qualis nimirum *Phthisin Pulmonalem*, *Morbum Coxarium*, *Abscessum Psoanum*, aliosque graves morbos interiorum partium comitatur.

Non solum accessiones certa lege temporis carent (quod supra memini), sed etiam ipsæ interdum obscuræ sunt. Inter principia, tantulæ tamque leves esse solent, eoque insidiantur, ut medicum, vel peritum, vix non lateant; imo vero, non prius clare innotescant, quam penitus valetudinem fregerint. Interdum equidem Febris *Hectica* adeo usque se celat, ut non, nisi corpore paululum tabescente, arteriis aliquantum concitatis, et cute incalente post cibum ingestum, aliquamdiu insigniatur.

Quinetiam, non perpetuum est, ut accessiones

triplicem istam speciem jam descriptam sibi induant. Ardor non semper horrori supervenit: subinde sane ardor non in sudorem, at in horrorem recidivum abit (quod hujus febris proprium conjicio): nec urinæ lex certa imperat; quæ, quamvis, accessione abitura, copiosa et crassior sæpius excernitur, atque parca et pellucida inter ardores, aliquando tamen, inter remissiones, pellucet; febreque ardente, nubila crassescit.

Denique, uti Febris *Hectica* quamplurima abnormia secum interdum affert, ita quoque gradu, id est, vi, quam maxime variat. Nemo, vel artis medicæ parum doctus, nescire potest, quantum hæc febris *Phthisi Pulmonali* oriunda eidem abscessu genitæ, habitu corporis bono distet. Illa scilicet infelicem sudoribus alvique fluxu gravissimis extenuat; hæc contra corpore vicissim inhorrescente aut exardente unice denuntiatur.

Inquisitu dignissimum est, cur febris proposita facie tam varia multiplicique instruatur. Hoc causæ duplici potissimum tribuendum esse opinor; imprimis, febris *hectica* aliis alia est, pro genere vario adversæ valetudinis ejus nutricis et parentis; deinde, pro corporis indole, ætate, et aliis istiusmodi, mox considerandis.

### *DE DIAGNOSI.*

Multæ proprietates Febrem *Hecticam* insigniunt, et ab omnibus aliis febrium generibus discernunt. Imprimis, et præsertim, memorabile est, febrem, de qua agimus, fere semper morbo cujusvis partium interiorum prægresso enasci et ali; cæteras autem febres, uti intermittentes et *typhum*, citra aliud malum antecedens, *miasmate*, vel *contagio*, aliisve noxis exteris admotis, excitari. Haud profecto ignoro, nonnullos, maximeque Professorem eximium medicinæ *practicæ* Edinensem, hanc febrem subinde *Idiopathicam* esse opinari. Qui recte an secus de hac re judicaverint, illud certe convenit, multo frequentissime Febrem *Hecticam* quodam morbo prius exorto, veluti radice, proficisei.

Febris *Hectica* porro Intermittenti eo distat, quod accessiones binas quotidie sibi præferre soleat: Intermittenti contra evenit unica accessio intra horas xxiv; nec semper quotidie. Lege quoque certa temporis accessiones hujus reguntur, qua altera vacat. Febris *Hecticæ* est (cui sane rei potissimum insistendum opinor) quam levis-

sime actiones cerebri et ventriculi perturbare; Intermittentis autem, haud secus atque aliarum febrium, officia horum viscerum insigniter sedare vel impedire. Hinc Febre *Hectica* correptus raro delirat, cibosve fastidit, aut ingestos evomit. Huc accedit, mentem hilarem et serenam spe salutis futuræ, vel fato jam propinquo, persæpe foveri. Lingua et fauces, aliis febribus torquentibus, arent, sordeque fusca aut candida obducuntur; *Hectica* vero implicatis, fere nitent, et præter solitum rubent. Præter hæc, ejusdem proprium est, manus et pedes ardore maximo quasi exuri, maculamque roseam genas medias exornare. Jam retuli sudorem *Hecticum* nequaquam *criticum* aut *judicatorium* esse, quippe, quo profuso, nulla malorum leniantur. Ægrum colliquefacere dicitur, eo quod vires perquam resolutas arguit, easdemque magis indies labefacit.

Hæc, ni fallor, satis superque vetant, quo minus vel inexpertus febrem intermittentem pro *hectica*, vel hanc pro illa, habere possit; et clare edocent, febrem propositam legibus parere, iis, quæ cæteris moderantur, penitus alienas.

*DE CAUSIS ABDITIS.*

Febris *Hectica,* uti supra memini, aliis alia contingit, varia et multiplex; sicut a quibusdam mitissima membris invicem modo horrentibus, modo ultra debitum incalescentibus, unice prædicetur: nonnullos contra omnibus notis jam traditis affligat, denuoque sudoribus et alvo fusa tabefaciat. Quæ vero de causis dicturus sum, præsertim ad hanc graviorem febrem pertinebunt.

Corpus debile, mobile, et præter modum irritabile, potissimum Febri *Hecticæ* subeundæ aptum esse videtur: id est, debilitas et generis nervosi mobilitas nimia, inter causas ejus abditas sunt habendæ. Quæcunque scilicet causæ huic febri excitandæ sint habiles, non nisi corpori jam debiliori et mobiliori illatæ, eandem, gravem et signis pessimis instructam, ciere poterunt. Quamvis Febris *Hectica* sæpenumero *Struma* imbutos, indoleque sanguinea præditos, aggreditur, (quales fere sunt *Phthisi Pulmonali,* Abscessu *Psoano,* morboque *Coxario* implicati), non illico judicare licet, habitum *strumosum* et sanguineum necessarium esse; aut, citra hunc, febrem propositam

accendi non posse: notissimum est enim, *Carcinoma* et alia mala, quæ corporis indoles *Strumosæ* omnino dispar comitatur, Febrem *Hecticam* maxime terrentem et acerrimam movere. Judicare igitur licet, corpus *Scrophula* inquinatum huic febri favere; solummodo quod ei fere contingunt ista infirmitas et generis nervosi mobilitas, quas præcipue hominem Febri *Hecticæ* accipiendæ aptare posuimus.

### *DE CAUSIS EXCITANTIBUS.*

Jam diu medici sibi persuaserunt, pus absorptum, et cum humoribus circumeuntibus mistum, unice Febrem *Hecticam* movere. Unde nata sit hæc opinio, intellectu haud est difficile: optime scilicet innotuit, longe plurimos eorum morborum, qui Febrem *Hecticam* pariunt, in aliqua parte exulcerata, certeve suppurante, contineri: quales sunt, *Phthisis Pulmonalis, Empyema, Abscessus Psoanus,* et qui sunt istiusmodi. Errasse vero, qui ita sentiunt, hinc, ni fallor, clare patet: quod sæpenumero abscessus, citra hanc febrem inde genitam, nascuntur: quod *bubones* atque alia tubera

suppurantia, pessimique generis, haud raro sua sponte evanuere, resorpto pure, haud ullo simul Febris *Hecticæ* indicio prodeunte.

Quinetiam, usu docemur, Febrem *Hecticam* plura morborum genera, suppurationis vel exulcerationis prorsus vacua, stipare. Haud profecto nescio, multos auctores, vel spectatissimos, inter quos * THOMSONUS recensendus est, de hac re dubitare. Quicunque tamen *Diabete Mellito, Scorbuto, Dyspepsia, verminatione,* aliisque morbis quibusdam, posthac memorandis, ægrotis interesse consuerit, eum latere non potest, Febrem *Hecticam* eos persæpe macerare, pure nullubi corporis facto. Hisce omnibus perpensis, conjicio, imprimis, nullam causam huic febri arcessendæ parem esse, nisi corpori jam parato, vel proclivi, id est, infirmo et præter naturam mobili, admoveatur: deinde, complures alias causas, præter pus absorptum, dummodo corpori opportuno adhibeantur, eandem progignere posse.

Proximum est, ut paucis causas excitantes exponere nitar. Hæ vero triplicis esse generis videntur: scilicet,

---

* Vide THOMSON on Inflammation, p. 326.

I. Pus, aliusve humor acer, abscessu, ulcereve ortum, per vasa absorbentia in sanguinem delatum.

II. Sanguis ipse, cæterique succi interiores ab eo secreti, acriores aut vitiosi; citra abscessum vel ulcus.

III. Acria alimenti meatui inhærentia.

De quarum causarum singulis quam brevissime agere in animo est.

1. Quamvis supra dixi, pus, aliumve humorem, ulcere oriundum, per vasa *lymphatica* absorberi; minime me latet, experimenta varia nuper instituta edocere, venas potius quam vasa *Lymphatica* humores vitiosos et aliena plurima iis ineunbus oblata resorbere. De hac tamen quæstione, haud sane ad argumentum propositum attinente, non hic disputare consilium est. Illud intelligi volo, latices corruptos ulceribus enatos ad sanguinem delatos, et cum eo circumfluente mistos, (quo itinere cunque huc perveniant), omnium noxarum Febris *Hecticæ* excitantium longe creberrimam esse. Hujus vero causæ exemplo luculentissimo extat *Phthisis Pulmonalis*: convenit enim, pulmonem hoc exitioso malo extenuatis exulcerari;

pusque malum inde profectum, cum humoribus circumeuntibus sociatum, Febrem *Hecticam* arcessere. Ex morbis hac febre stipatis, qui eam eodem modo pariunt, præcipui atque memoratu dignissimi sunt, *Abscessus Psoanus*, morbus *coxarius*, *Hydrarthus*, *Scrophula mesenterica*, glandium exulceratione finita; *Vomica*; *Empyema*; *carcinoma* alicubi corporis; atque abscessus vel ulcus cujusvis partium interiorum. Supra edocuimus, non perpetuum esse, ut abscessus Febrem *Hecticam* moliatur: neque latet ratio. Opus est scilicet corpore admodum mobili, debili et irritabili, quo causa aliqua vel gravissima hanc febrem moliatur. Unde efficitur, abscessus validis et indole corporis sana donatis, persæpe evenire, aut citra Febrem *Hecticam*, aut eadem quam mitissima accensa.

2. Quod ad sanguinem et reliquos humorum mutatos, id est, acriores quam fert natura, et corruptos; vix inficias est eundum, Febrem *Hecticam* exinde persæpe exoriri. Etiamsi vetus ista *Pathologia* Humorum funditus jam diu ruerit, nec injuria; non illico tamen Hoffmanno et Culleno assentimur, professis humores nunquam vi-

tiari, omnigenamque valetudinem adversam ad genus nervosum viresque motrices, incitatas, sedatas, vel abnormes, esse relegandam. Hi clari viri, erroribus et maculis vetustæ *Pathologiæ* perceptis, ex altera parte errasse videntur; veluti qui "incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdin." Quamvis igitur antiqua ista disciplina, quæ artem medicam mille fere annos quasi compedibus vinxit, jure optimo ablegatur; experimentis tamen confisi, credimus sanguinem, permultis morbis urgentibus, alium esse atque valetudine integra. Exemplis sint *Diabetes mellitus* atque *Scorbutus.* Sanguis illo laborantibus detractus tarde ægreque putrescere solet; accepimus sane eundem citra putredinem tres menses conservari posse; frequenter porro vix sua sponte concrescere; et subinde serum opacum lacteumque exhibere. Reliquos vero humorum, eodem modo torquente, vitiosos esse docent, æger cibi edacior, ob succum nempe ventriculi acriorem; atque odor, quali acetum nares afficit, e cute evolutus. Quum equidem e sanguine, quasi radice, cæteri succi proficiscuntur, haud secus atque solidæ partes; illo mutato, hi quoque mutentur, necesse est. Quoniam igitur *Diabetici* demum Febre *Hectica*

uri et extenuari consuerunt, nec pure alicubi facto, nec aliqua parte suppurante aut exulcerata; autumare licet, causæ eam jam expositæ deberi, id est, humoribus circumeuntibus mutatis. Quod si penitus hanc rem animo volvimus, causam nunc traditam quam minime alteri, scilicet, humori ab ulcere orto resorpto, distare, satis patebit. Pus enim aliusve latex ulceris proprius, eo Febrem *Hecticam* accendit, quod resorbetur; id est, quod humores circumfluentes polluit, ideoque mutat.

Si quis objiciat, *Diabeticos* interdum, malis jam inveterascentibus, in *Phthisin Pulmonalem* incidere *tuberculosam;* respondeo, eosdem Febre *Hectica* torqueri solitos esse, *Phthisis* superveniat necne. Quod ad *Scorbutum* attinet, confiteor sane hunc morbum sæpe ulcera mali moris progignere: quæ sine dubio, si adsunt, operæ multum conferunt ad Febrem *Hecticam* arcessendam. Meminisse simul juvat, sanguinem jam corruptum, et in cavernas telæ reticulatæ profusum, causam esse ulcerum genitricem: nec raro Febrem *Hecticam*, sine ullis ulceribus, *Scorbuto* implicatos tabefacere. Denique, uti paucis absolvam, nullus dubito, jam dictis in mente habitis, quin *Diabetes Mellitus*, *Scorbutus*, aliique

morbi cum habitu malo corporis quadam necessitudine sociati, Febrem *Hecticam*, humoribus polluendis, moveant.

3. Præter noxas excitantes jam expositas, scire licet varia irritamenta, alimenti meatui inhærentia, Febris *Hecticæ* progignendæ esse potentia. Hæc vero sunt, vermes intestino inclusi; cibus male concoctus, ideoque fermentescens et acrior factus; alvi tarditas; acor; et quæ sunt hujusmodi. Ni igitur erravi, hisce causis prolatis, constat non opus esse sanguine inquinato, quo Febris *Hectica* nascatur: quædam enim ex irritamentis jam relatis, veluti vermes, resorberi plane nequeunt. Nemo tamen admirabitur, quod hæ causæ Febrem *Hecticam* concitare valeant; si imperium illud perinsigne in animo habet, quo alimenti canalis cæteras corporis partes moderatur et gubernat. Quis medicorum ignorat, *Dyspepsiam* genus nervosum eo perturbare, ut persæpe signa maxime terrentia facessat, qualia sunt animæ defectio, cordis palpitatio, metus instantis mortis, artus gelidi et madidi; pupillæ subinde non luce coarctatæ, caligo, muscæ volitantes, *Strabismus;* et alia istiusmodi? Neque minus con-

stat, alvi pigritiam, vermesque, frequenter eadem, vel similia mala, arcessere. Quæ cum ita se habeant, intellectu non erit difficile, Febrem *Hecticam* actione ventriculi et intestini turbata vel abnormi niti posse. Quis equidem nescit, *Dyspepticis*, cibo jam absumpto, genas sæpe rubore vivido florere et ardere, manusque et pedes præter naturam incalere; sudoribus nocturnis secuturis? Simili ratione *verminatio* permultos Febre *Hectica* multavit, citra exulcerationem, abscessum, vel pus intra intestinum secretum. Usu porro docemur, alvum pigriorem atque stercore acri, aliave sorde, onustam, haud raro leviores saltem hujus febris notas moliri; scilicet genas vesperi rutilas, manusque atque pedes aridos atque ardore quasi exustos.

Denique, judicare licet, non esse audiendos, qui prædicant, Febrem *Hecticam* pure resorpto semper et unice enasci. Non solum enim abscessus et ulcera interdum, deficiente hac febre, gignuntur et sanescunt; veruntamen quoque, illis deficientibus, Febris *Hectica* interdum accendi comperta est. Quibus perpensis, conjicere oportet, indole corporis propria opus esse, qua aliqua noxa hanc febrem movere possit; id est, corpore

debiliori et mobiliori, uti jam edocuimus: plura irritamenta, præter pus absorptum, corpori istiusmodi illata, hanc inductura esse febrem: vix ullam vero harum noxarum corpus non opportunum, scilicet, habitu valido et sano instructum, eadem affligere posse.

Quidam Febrem *Hecticam* aliquando *Idiopathicam* esse credunt: qui recte an secus judicent, meum dicere non est. Quoties alvus pigra, vel quodvis acre intestino inclusum, causæ est genitrici, urgente nullo alio morbo, Febris *Hectica* haud perperam, ni fallor, *Idiopathica* vocatur.

### *DE CURATIONE.*

Duo consilia exequenda medicum dirigere oportet: hæc vero sunt,

I. Morbum, unde Febris *Hectica* nascitur, debellare.

II. Ipsius signa, quantum fieri possit, lenire.

1. Lugentes confitemur plerosque eorum morborum, qui Febrem *Hecticam* pariunt, et alunt, medicabiles non esse. Quos inter, utpote causas

ejus creberrimas, potissimum recensendi sunt *Phthisis Pulmonalis*, *Carcinoma*, Abscessus *Psoanus* atque Morbus *Coxarius*. Satis autem constat, causa immota, febrem ipsam vix esse tollendam. Siquidem Febris *Hectica*, quæ *Phthisin* comitatur, multo crebrius, quam aliunde genita, apud medicos Britannicos curatur, simulque gravissimis notis insignitur; de ejus curatione potissimum agere consilium est. *Phthisis Pulmonalis*, jam confirmata, radicitus summoveri auxilio medicinæ nequit. Quo pacto enim sanescere potest ulcus, motu assiduo et aëre continenter inter inspirandum accepto exasperatum? Notas igitur Febris *Hecticæ* consopire, illud pene unicum penes est medicum.

2. Febre intermittente urgente, medici consueverunt accessiones quam celerrime ad finem perducere: id est, sudorem quam maxime celerare. Cum vero sudores *hectici* nequaquam *critici* sunt, nunquam ægrum ærumnis expediunt; at contra vehementer extenuant atque infirmant, summa ope præcavendi sunt et arcendi. Cibi calefacturi, veluti carnes conditæ, et potus meri, fugi debent; quod si genus vitæ prægressum hæc incitamenta

prorsus subduci non sinit, quam cautissima manu concedenda sunt. Nec vero affirmare volo, *Phthisi* inveterata tabescentem victu pertenui macerandum esse: cibus blandus et simul opimus dandus erit; qualis facilis sit concoctu, alendo aptus, nec simul cor et arterias præter debitum stimulet, aut ægrum calefaciat: nimirum ex lacte, carnibusque assis vel elixis confectus, egelidisque iisdem sumptis. Siquidem medici opinantur, pus absorptum *Phthisi Pulmonali* ægrotantibus Febrem *Hecticam* arcessere et nutrire; permagni interest, ut idem expuatur. Medicamenta igitur, quæ sputum moveant, ministrari debent: qualia sunt *Demulcentia*, radix *Scillæ maritimæ*, et alia notissima.

Ardore jam præsente, perflatu opus erit; nisi profecto cœlum pruinosum vetat. Præstat temperies media; quæ gradu circiter lv$^{to}$ vel lx$^{mo}$ instrumenti Farenheitani denuntietur. Cubandum est in conclavi spatioso, quod perflatum æstivum, solemque hibernum accipiat.

Præ omnibus vero, sudores, alvique fluxus, qui vicissim plectere, viresque citissime et vehementer labefactare consuerunt, cohibendi sunt. Sudor *acidis* et aliis refrigeraturis cedet: *Acidum Sul-*

*phuricum dilutum* usitatissimum est. Nosse juvat, ea, quæ sudores fugant, alvi fluxum intendere: quæ alvum compescunt, sudores augere: non quod *Acidum Sulphuricum* alvi solvendæ facultate pollet; nec quod remedia, quæ alvi fluxum reprimunt, sudoris excitandi sunt potentia per se: sed quod altero horum malorum sublato vel imminuto, alterum sua sponte increscit. Quæ cum ita se habeant, utrumque non semper tolli potest. Alvus autem fusa, ut opinor, plus secum periculi affert: administranda igitur, hac urgente, adstringentia *Opio* juncta; nimirum *extractum Mimosæ catechu, Kino* vel *extractum Hæmatoxyli Campeehianic* atque *Carbonas Calcis.*

Quidam *Acido Sulphurico* adjungunt *Cinchonæ officinalis* corticem. *Sulphas Quininæ,* me judice, cæteris ex eo præparatis antecellit.

Haud ignoro hoc argumentum quam latissime patere: neque vero consilium initum, nec limites, quibus contineor augusti, sermonem produci postulat aut sinit.

FINIS.